

2
S
his tunc ut videmus occupari vob. Vos populos
Nos quatinus Principes Vos imperare Nos ob
qui spectamus nos alio modo, quam ut possit an
norum nobis, bene solentur vivamus bene sub Prin
cipe. Nos inquam, qui celi Excelsis nullis in Repub
licis, sed in Conciliis, nisi permissum sit deus.

APOSTROPHE
AD
SERENISSIMOS POLONIÆ
CANDIDATOS.

ANNO M. DC. LXXIV.

Formam II Coronam Nostri non tam auro
tam quam p... nec tam ornamentum capiti
quis vultus adeo pectus in iustitiam adhibe re
per dicitur, illud quod sancti saluificauerunt non
quam dicitur.

1750
Serenissimi Principes &c. &c. Corona Nostra, Vestrā nunc, ut videmus, occupat vota. Vos populos, Nos quærimus Principes, Vos imperare, Nos obsequi intendimus non alio motivo, quàm ut post tot annorum nubila, benè feliciterq; vivamus bono sub Principe. Nos inquam, qui etsi Externis nulla in Republ. munia, sed nec Concivibus, nisi præviis meritis dignitatum pandimus gradum, Thronum tamen Regium fascēsq; Imperii alienigenæ in tantum deserimus, in quantum cum virtute supra communem Mortalium Sortem eminere arbitramur. Nihil ferè, vel exiguum Natalium Splendori, quod fortuitum est, deferentes. Qui Princeps nisi expectationi Nostræ re ipsa satisfaciat, Rex animorum, quod est primum & supremum apud Nos Regnum, esse desinit. Incolas verò Principes ex eâ ut plurimum ratione præterimus, ne fortè in Electione & Regimine ejus innato præoccupati affectu, integro detrāhamus iudicio. Quare est, quod Vestram subeat trutinam, antequam intentiones Vestras seriò ad concurrentiam applicare experitis. Quod ut facilius præstare valeatis, Sarmatica realitate, Polona ingenuitate Vobiscum agimus, ne sera animos Vestros subeat poenitentia. Vobis.

Fatemur Imo Coronam Nostram si quando, tum hoc rerum Statu non esse de numero illarum quæ illi subsunt inscriptioni; *Tollat qui non novit.* Nemo prudenter hanc tollere poterit, nisi prius & se, quantum possit, & eam, quantum ponderat, cognoverit.

Fatemur II. Coronam Nostram non tam auream, quàm Spineam esse, nec tam ornamentum capitis, quàm vinculum adeò perenne, ut juramento abhinc Reges adstringantur, illud quod semel assumpserunt, nunquam dimisuros.

Fatemur

E XII 189
vii vii
regi nrd.

Fatemur III. Regium caput semel diademate
cinctum, perpetuo agere sub caside, cum Regnum No-
strum hostibus in mediis, interq; pericula situm; non
Oceano, non Alpibus, non Pyreneis defendimus jugis.

Fatemur IV. Etsi alibi Reges velut Vicariae Nu-
minis potestates vel per se, vel per paucos ad libitum le-
ctos de fatis Populorum disponant absolutissimè, apud
Nos tamen communicata potestate sub vinculis legum
positi Principes, cum tot Populis, imò nationibus humo-
re, more, ore, clymate dissidentibus regnant. 140. ex Or-
dine Senatorio Correges, Myriades Equitum ex tertio
Ordine, potestatis suæ numerant Participes, ita tamen,
ut utraq; Spæra Regem velut primum mobile respiciat,
quod non motu raptus, hos cælos inferiores voluit & gu-
bernat, sed mirabili quadam dexteritate & prudentia.
Unde quam vasto in Principe opus sit animo, ut tot ho-
minum Millibus cogi nesciis, unanimum spiret intencionem,
quàm defæcata opus prudentia, tot dissonos ad
consonantiam reducere sensus.

Fatemur V Regnum Nostrum per Viginti & am-
plius annos tot conflictatum calamitatibus, tot Provin-
cias quaquaversum avulsas, & quod urgentissimum esset,
Othomanicæ potentie furorem recenti irritatum victo-
riâ; quanta hic opus in Principe animi corporisq; for-
titudine, quanto illum contra hostem Imperatore, qui
tot Imperia & Regna, remotaq; Orbis Clymata ad vindi-
cias de nobis sumendas contra Nos evocat; quanto hic
opus Hercule, qui tantis non terreatur monstris, qui non
cedat malis, sed contra audentior eat.

Fatemur VI. Regnum hoc tot bellorum impen-
sis exhaustum, tot hostibus attritum, & plane exinanitum,
tributis conferendis amplius non sufficere. Unde quàm

nummosum requirimus Principem, aut si non tam nummosum, saltim tam prudentem, & bellicosum, ut rem Polonam ad primævam redactam pauperiem, ad primævam quoq; sine Stipendiario Milite bellandi modum reducat, quod fieri nequaquam poterit, nisi Princeps exemplo suo, Cæli aërisq; intemperiem pati hixum calcare, hyemes sub pellibus agere, Palatii delicias temnere, forenses strepitus averfari, Universam doceat Nobilitatem. Redivivos in se exprimat Crivoustos, Chrobrios, Boleslaos audaces, Vladislaos Reges, tum demum sine ingenti pecunia & tributis, iis artibus conservabit Imperium, quibus & creverat, alias si neutrum ex supradictis habuerit, hic inveniet, cum qua gente cadat, cui ferus inscribat Viator; Cum populo jacet hic, & ipso cum Rege Regnum.

Fatemur VII. Gentem Nostram non esse amplius illam, quæ Principes quales quales sub anigmate Majestatis venerari, colere, & tolerare solebat, jam nunc assumit sibi Reges medio contractu & conditionibus, veram virtutem non fucatam ab illis exigit, pericula, labores, sudores, matura in arduis consilia, publicam felicitatem ab illis requirit, & nisi miles donis, populus annona, cuncti dulcedine pacis alliciantur, Princeps asurgere non valet, ad quem ut prospera Reipubl. referuntur, ita mala ejusmodi non Ministris, non Consiliariis, ut alibi, sed ipsi attribuuntur. Promissa per Pacta Conventa ablaturam recuperatio, sub vinculo non præstandæ obedientiæ, adeo non segniter efflagitat Reipubl. ut facile pateat, licere, alicubi ferari Principes, hic non habere aliam requiem, quam eam, quam post fata volumus æternam.

Fatemur.

5159

Fatemur VIII. Si quando tum modo esse in Polonia Laureatos Duces, Victores Exercitus, qui non nisi bellicoso, & in Palastra Martis exercitato Principi, fascēs & trophæa submittent, talemq; solum vel similem audiri venerabuntur obsequio, qualem nuper in facie Reipubl. Sarmaticis designarunt, sæpius. Alias quisquis ille fuerit Princeps, qui præter Natalium sortem, alia non adferet decora, manifesto se levipendii objiciet periculo, magno Nostrarum, & suarum rerum discrimine.

Fatemur IX. Justitiam distributivam summam hic exigere Judicii maturitatem, ubi tot prætendentes, quot Equites, ubi nulla Civibus adest petendi mensura, ubi nõ solum in distribuendis honoribus, officiis, dignitatibus, sed in partiendis, affectibus, verbis, ne dicam aspectibus tanta opus est crisi, ut plurimum Regum altissimo Judicio præditorum constet testimonio, tam terribilem sibi fuisse distributivæ Justitiæ occasionem, quam tremendum fore credimus extremum illud iudicium. Unde quis credat Principem noviter Electum sine summa perspicacitate, ad hanc offensionis petram, suam & Reipubl. non allisurum navigium, ex hac distributivam præmiorum, quam affectuum, tot in Rempubl. tot in Principes inundarunt mala.

Fatemur X. (quid enim celare prodest) Joannem Casimirum verum Martis alumnum, non in deliriis educatum & adultum, adversis exercitatum & obfirmatum, abdicatione suâ palam fecisse Manum Domini aded gravatam esse super Nos, ut vel Atlantici tanti Principis humeri impares se huic Orbi ferendo agnoverint. Quid de Michaele dicendum, qui tertia post Electionem die recurrit ad Matrem, ad nonnullos Regni Pri-

mores, vellent se hoc liberare vinculo, demere pondus, suis nimium grave viribus, cumq; ab illis (qui etſi juſtam petitionem ſuam agnovetint, redeuntia tamen Interregni mala metuerint) id quod voluit, impetrare non potuit, intra quadriennii ſpatium ad tumultum, eoque labentis Imperii depreſſus mole, id ſuccedancis ſuis relinqueret documentum, res Polonas non niſi exercitatis, indefeſſis, fortibus, ſtrenuis, ac cordatis aptari Principibus.

Sed jam audio lenes ad aures Veſtras Suſurros, ad eſſe in Polonia numerolum ſenatum, Miniſtros experienciã inſignes, qui inſtruere poterunt Principem, cum artes regendæ Poloniæ, non niſi in Poloniã diſcuntur, dummodo Princeps ſecum adferat ingenii docilitatem. At videte fallaciam Sereniſſimi Principes: Idem conſilium oblatum erat Principi Caſimiro, dum triginta & amplius Senatores ad pedes ejus provoluti, Subſidia Dominationis ſpondebant & promittebant; Non perſuaſere. Vidit enim prudentiſſimus Princeps, quàm impoſſibile ſit alieno in Polonia regnare arbitrio? hoc idem expertus Michael. Quid dicam de præſenti rerum ſtatu? ubi Polonia Magiſtrum non Diſcipulum quærit, & formari non formare deſiderat, talem Principem quærit, qui non ſit Deus Isaac, Deus Jacob, ſed Deus omnium, qui ſciat reprobare malum & eligere bonum, qui omnium Senſus audiat, & hoc quod ipſi optimum videtur, concludat, nec juret in verba Magiſtri. Si Polonia poſſet vivere ſub Rege alieni arbitrii, poſſet & ſine eo. Si Pædagogos Regios pati poſſet, potuiſſet & duodecim olim viratum, quam toties rejecit. Quis credit cum Medicum poſſe ſuccurrere inſirmanti, qui tum demum Medicinæ ſtudere ſatagit, cum æger ſuam imploret o-
pem

perem? Quis clavum navigii illi concedit inter ventorum tempestates, qui nec acum Nauticam, nec ventos, nec Maria unquam cognovit? Quis in Scenam eduxit eum, quem prius in proscenio non exercuit.

Concludo itaq; Serenissimi Principes. Ut si forte quis Vestrum maturiorem cum aetate non attigit prudentiam, necdum Civilium, tum Militarium rerum fecerit experientiam, qui necdum fortia agere & pati didicerit, qui seipsum exinanire, & Regis Regum exemplo, formam servi publici accipere detrectat, Regnum Poloniae non appetat, ex quo non tam Reges, quam coronati ad Deum ascendunt Martyres, Ad Deum inquam, quia ab hoc Solo praemium laborum suorum praestolantur, ibi reposita est illis corona justitiae: Nos praeter venerationem, qua illorum colimus sudores, praeter prosperam eorum memoriam, nil aliud illis rependere possumus. *Cave te Serenissimi Principes,* non bene exercitati in hoc prodire theatrum, ubi actiones Vestras spectabit Orbis, censurabit hostis, observabit Civis, ubi nondum amicos, nondum Clientes, nondum devinctos habetis populos, toti novi, incogniti, adventitii, diversis moribus, lingua, habitu dissoni, Populum per omnia dissimilem vobis reperietis, & prout prima prudentiae aetimationis Vestrae jeceritis Semina, ita in reliquis succedet fama. *Ne credite Serenisf. Principes* posse successu temporis separari, quidquid in primordiis peccatum. In eo jam est Statu Polonia, ut ni primo in limine ei benefeceritis, eam salvetis, perit, & Vos cum ea, nec erit amplius tempus facere bene, ubi id effluxerit: Potius itaq; certate hac cum re, Christiana generositate, permittite, ut Antemurale hoc, idoneum sibi praesentiq; Statui eligat Principem, ut Vestram extollat

tollat Polonus Orbis modestiam, si Electoralem campum factionibus scindi non patiemi, ponite calculum cum meritis, capacitate, & facultatibus Vestris, considerate ingenuitatem nostram quâ vobis omnia pandimus, fatemurq; non habere, Thronum Polonum alia illicia Sceptrorum suorum, quam copiosam in caelo mercedem, & nominis in posteritate immortalitatem. Caterum cui vile est corpus, qui magnam gloriam petit, quærat Poloniam, progrediatur qua arduâ per præcepta gloria pandit iter. Hoc est Serenissimi Principes devotionis meæ erga Rempubl- & Serenitates Vestras argumentum, dum Vobis tot difficultatum recessus monstraverim, ne fortè decore Regni vocabulo infascinati, ea ambiatis, quæ tranquillitatem Vestram, quâ hucusq; gaudebatis tollat, & serum super inducat pœnitere.

